



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XXVIII. De eo quod legitur apud Iob: In sex tribulationibus liberabit te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

tam nequissimo vitio ingratitude longe fieri studeamus: ut tota devotione in gratiarum actione versantes, conciliemus nobis gratiam Dei nostri, quæ sola potest salvare animas nostras. Nec verbo tantum vel lingua, sed opere & veritate exhibeamus nos gratos: quia gratiarum actionem magis, quam dilectionem à nobis exigit dator gratiarum Dominus Deus, noster qui est benedictus in secula, Amen.

S E R M O XXVIII.

De eo quod legitur in Job, *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tangei te malum.* Job, 5. c.

Dignum valde est & omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus à constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant, ne parato regno inveniatur forsitan, qui regnaturi fuerant imparati. Sic enim legimus de cœna quadam ^a, dicente Domino: *Quoniam quidem cœna parata est, sed qui vocati erant non fuerunt digni.* Quærimus ergo quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. Et si piè quærimus, cum Propheta utique dicere non audemus ^b: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, inquit, sine macula.* Sed hæc, inquires, præparatio soli Christo convenire videtur. Nemo enim cæterorum omnium mundus à forde, nec infans cuius est vita *unius diei super terram* ^c. Itaque solus intrabit, qui solus agnus est sine macula, solus argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum est, nec in eo inventum. Solus planè summus pontifex meus nec in patre nec in matre contaminatus est, ut lex dicit ^d: *patrem quippe sed Deum, matrem quoque sed Virginem habens: unde & solus ingreditur sancta sanctorum, & nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo* ^e.

Quid ergo nos? Itane continuo desperabimus? Immò verò sperabimus, & hinc maximè. Licet enim solus sed profecto totus intrabit, & os non comminuetur ex eo, non sine membris caput invenitur in regno, si tamen membra fuerint conformia sibi, & cohærentia capiti suo. Conformia sanè moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quantum potest, habet & cohærentiam ipsa etiam minor ætas, dum & similitudini mortis ejus meritione illa triplici complantatur, & fidem in involucre quodam recipit, quod necdum capax sit evolutæ. Benignus est nimirum Spiritus sapientiæ, & quem traducta culpa ligaverat, indulta justitia solvit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum à labiis suis. *Voluntariè enim peccanti post agnitam gratiam non relinquitur hostia pro peccato* ^f. Sed neque sic liberabit à suis, quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio, Fratres, gravis est macula, & scimus quoniam non quod intrat in os

coinqu;

^a Matt. 22. a

^b Psal. 14. a
Cœlum solis patet immaculatus.

^c Job. 15. b
At nemo hominum sine macula, nisi solus Christus.

^d Levit. 21. a

^e Ioan. 3. b
Attamen Christus, ut caput nostrum, non intrabit sine membris, sed conformibus.

Infantes, quomodo conformentur Christo.

^f Heb. 10. c

coinquinat hominem, sed quod de ore egreditur &. Inde ergo macula, *g* *Matt. 15. b*
 inde maledictio a labiis suis, sed non semper à propriis. Neque enim de
 corpore vel corde proprio originalis in parvulum culpa procedit, cui non
 modò consensus, sed ne ullus quidem interim potest sensus esse peccati.
 Quomodo tamen maledictum à labiis suis non liberat spiritus, aut volun-
 tariè peccantibus non relinquatur hostia, nisi quia non illi denuo crucifigi-
 tur Christus, nec complantatur iterum similitudini mortis ejus per bap-
 tismum? Propria jam eo lachrymarum unda exigitur, propriam bajulare
 crucem, propria mortificare membra, & propriam immolare hostiam ne-
 cesse est. Sine causa aliter diceret, credo propriis labiis expietur oportet
 priorum maledictio labiorum: per multas enim tribulationes in regnū
 Dei intrare necesse est *h*; & nemo nisi per tribulationes ingreditur, aut pro-
 prias, aut alienas. *h* *Act. 14. d*

*Adulti non ni-
 si propria pœni-
 tentia expian-
 tur.*

Sola nimirum secundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminavit of-
 fensio sola prioris, non quòd propria cuiquam sufficere possit satisfactio.
 Quid enim est universa pœnitentia nostra, nisi quòd si non compatimur,
 omninò non possumus conregnare? Quod enim in nobis minus est, ipse
 supplet: modicum tamen illud quodcunque nostrum est, non patitur re-
 servari. Quòd si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam sal-
 vat adultos, longè minùs salvare poterunt opera sine fide. Facilius enim
 membrū inhærens capiti si deforme est reformatur, quàm divulsum quam-
 libet simile copuletur. Et ipsum tamen quod deforme est, aut conforme fie-
 ri imagini filii sui & capitis sui, aut certè tandem avelli ab eo, necesse est ana-
 thema esse à Christo, ne in illa plenitudine corporis ejus inveniatur quip-
 piam indecorum.

*Fides sine operi-
 bus non salvat.*

Ubi ergò macula propria, propria quoque purgatio jure requiritur:
 & si contaminatio multiplex, opus est etiam tribulatione multiplici. Unde
 enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repu-
 gnatur? Quid verò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc con-
 tagio poterit inveniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac
 deinceps corpus occupat universum, mentem desideriis afficit, membra il-
 lecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfacien-
 di voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in universo
 corpore molliciei sensus, & libido perniciofa tangendi, inde intus in ani-
 ma ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, avaritiæ, invi-
 diæ, contumaciæ, nequitia, & omnium denique vitiorum affectibus vehe-
 menter accensa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mun-
 dus habere viderur, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir ju-
 stus. Et quemadmodū ambulans quis in carne, sensuum voluptate delectatur
 delicias computat esse sub sentibus: sic & omnis qui in spiritu seminare de-

*Concupiscentia
 omnium vitio-
 rum & malorū
 scaturigo.*

*Differentia
carnalium &
spiritualium.*

siderat, spinas & tribulos quos propria terra ex maledicto utique germinat, potius eradicare quam propagare contendit, quippe qui convertitur in ærumna sua, quotiens configitur spina.

*Nemo peccat nisi
si volens.
i Gen. 4. 2*

i Job. 5. 2

*Mors piis non
dammum adfert,
sed lucrum.*

*Ad excusationem
sepeorem, & ex-
gitandum fer-
vorem novissi-
morum, seu
Horror mortis.*

Huic ergo tam multifariæ pesti, per singula quæque resistere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in me, totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus invenitur, undique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiae periculosius sævit, crudelius malignatur. Minimè tamen in hac tam multiplici lucta desiciendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundant tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsū. Denique audi consolationem: Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est, nisi sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cohibe, ne prævaleant hæc, & immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris & ipse ad habitandū in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum planè delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat univèrsū. Audi adhuc consolationem: *In sex, inquit, tribulationibus liberaberis, & in septima non tanget te malum.* Si puer Hebræus es sex annis serviens, liber egredieris in septimo. Sex tibi tribulationes sunt contra desideria cordis, & quinque peritiam sensualitatis corporeæ voluptatem: sed in his sex liberaberis à septima, non quidem ne veniat, sed ne lædat, ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors: ipsa enim est septima tribulatio: sed somnus erit dilectis Domini, & ecce hereditas ejus. Erit janua vitæ, erit initium refrigerii, erit sancti illius montis scala, & ingressus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus & non homo. In septima itaque non tanget te malum. Malum utique triplex, quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulant perfectè interim liberari, nec in sex hydriis purificantur ad liquidum, ut exhibeantur in nuptiis sponsi non habentes maculam neque rugam. Manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei.

Unde nobis ista dissimulatio est, Fratres mei? Unde hæc tam perniciofa tepiditas, unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miteri nosmetipsos? Forsitan jam divites facti sumus, forsitan jam regnamus. Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident. Nonne exitum nostrū larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occurrentia tibi eatevratim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tanta necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præpa-

præparatis ad escam? quis consolabitur? Filioli mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. Nam & per ignem nobis transendum est, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi revelabitur universa impuritas, ibi veritas ipsa accepto tempore quod nobis interim datum contemnimus, justitias judicabit. Quid verò illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatae reputabuntur? Quicquid nunc parvipendendo transimus, palpando tetigimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum! forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lachryma diluisset.

Iam verò post ignem illum putas residuum aliquid invenietur in nobis? Aut tantum erit ut audeamus illud vultui majestatis offerre; aut eius sic altare conspectum? Quis ille pudor erit, quæve confusio, post tanta beneficia, tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Dei nostri? Fugiebat Adam, ut absconderetur ab eo, post unius utique pomi vetiti gustum, quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora præsumemus? Quando ab hac confusione purgabitur oculus cordis; cui nunc operam dare negligimus, ut irreverberata acie veri illius solis radios valeat intueri? Sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei: Ingredietur utique putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis hujus septimæ, & in ea non tangat me malum. Malum hoc triplex, horrois, doloris, & pudoris. Felix siquidem anima, quæ fiducialiter inimicis suis loquetur in porta: Quid hic astas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies*. Felicior, cujus opus non arserit, quem superædificasse aurum, argentum, lapides preciosos, examen illud inveniet. Felicissimus, qui sine ulla nube confusionis revelata penitus facie, gloriam Domini specularando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi, videns eum sicuti est, utique super omnia Deus benedictus & laudabilis, & gloriosus in secula seculorum, Amen.

Cruciatu ignis purgatorii.

Pudor iudicii.

1 Gen. 3. b

m Psal. 67. &

* Ita S. Martinus jam mortuus vicinus teste Sulpitio.

S E R M O XXIX.

De triplici Dilectione Dei.*

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omnia enim quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & ambitio spiritus, quæ non sunt ex Patre^a. Quid ergo? Sunt aliqua ex Patre, quibus nobis ista recompensentur. Sunt utique omnino dulciora his & amabiliora, sed hæc non credantur servis, multo minus inimicis. Quicquid vero amicus voluerit esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur. Amicis creditur consilium, quibus dicitur^b: Quia omnia quæcumque audivi

* alias, De diligendo Deo

a 1. Joan. 2.

b Ioan. 15. b

M m m m 3